



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

III. Quod nisi gratia Dei continua iuuemur, insidias diaboli superare non possumus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

nerationis purificationem, præteritum omne vitium sui baptismatis lauacro purgavit.

II.

In eadem
epistola.

Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus. Quod in iisdem scriptis eiusdem pontificis sententia protestatur, dicens: *Numquid nos de eorum post hæc rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant debere quod boni sunt, nec illum considerant, cuius quotidie gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se assequi posse confidunt?*

III.

In eadem
epistola.

Neminem, etiam baptismatis gratia renouatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonæ conuersationis acceperit. Quod eiusdem antistitis in eisdem paginis doctrina confirmat, dicens: *Nam quamuis hominem redemisset a præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum & post ista corrigere, multa seruauit, quotidiana præstans illi remedia, quibus nisi freti confisque nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necessè est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.*

IV.

Epist. 24.
Inter ceteras.

Quod nemo nisi per Christum libero bene utatur arbitrio, idem magister in epistola ad Mileuitanum Concilium data prædicat, dicens: *Auerte tandem, o prauissimarum mentium peruersa doctrina, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis eius utitur, in præuaricationis præsumptionem conciderit. Nec ex hac potuit erui, nisi prouidentia ei regenerationis statum pristinae libertatis Christi Domini reformasset aduentus.*

V.

Prosper
contra
Collatorum
cap. 10.

Quod omnia studia, & omnia opera ac merita sanctorum, ad Dei gloriam laudemque referenda sunt, quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo quod ipse donauerit. In quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis papæ Zosimi regularis auctoritas, cum scribens ad totius orbis episcopos ait: *Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, unde nascuntur) ad fratrum & coepisco-*